

JULIE NOVÁKOVÁ

### **Bohemorum saec. XVII<sup>o</sup> exulantium carmina aliquot**

Agitur de quinque epicediis post pugnam in Monte Albo commissam scriptis editisque, at in Enchiridii vol. I/V neque memoratis neque usquam reeditis; quae J. A. Comenii versus nuper tractantes invenimus. Horum epicediorum quattuor post Mauritii Hessensis († 1632) mortem sunt conscripta, tria distichis Latinis, unum rhythmis Hispanicis ipsius obitum lugentia virtutesque laudantia. Poema quintum Philippi Held consulis Lesnensis a. 1655 demortui exhortatio est ad superstites ficta a Carolo Scretta, Borusso nobili, qui cum pictore Bohemo eiusdem nominis certe non est idem; qua de causa hoc epitaphium carminibus illis Mauritanis ut aenigma quoddam genealogicum subiunxi.

Supplementum VI. ad carmina aliquot alia, itidem post a. 1620 orta, adnotatinculas forsitan non inutiles continet.

### **De Iosephi Hrabák versologia Latino-Bohemica**

Philologus doctissimus versologusque curiosus J. H. per occasionem etiam carminum Latinorum Graecorumque Bohemice versorum formam aptitudinemque scrutans, duas versuum illorum nostra lingua imitationes collaudavit: tum stichorum originalium metrum qua possibile conservantem (utut antiquorum ictum accentu nostro acuto compensantem), tum poema rhythmis apud nos usitatis induentem. An hoc aut illud, non solum a translatoribus, sed etiam ex lectorum nostrorum eruditione temporumque mutationibus saporibusque (e contextu scilicet actuali) iure optimo pendet.

prosím,, na příště si připravte, nemusíte mi posílat, pouze druhý z těchto textíků (J. Hrabák)